



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Lvcae Pinelli, Societatis Iesv Meditationes De
Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Et præparatione ad
sacram communionem**

Pinelli, Luca

Coloniæ Agrippinæ, 1603

Historia De Maria Qvomodo petiuerit mori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59560)

evigila te creatum propter illas, & non propter res terrenas.

HISTORIA DE MARIA QUOMODO PETIVERIT MORI.

CUM recens CHRISTI Ecclesia MARIÆ studio per annos quindecim satis esset confirmata, & persecutionibus aucta; postulavit B. Virgo à Domino finem peregrinationi suæ imponi, ut ad alteram vitam migrare, ac filio suo firmius coniungi posset. Cum ergo tempus à Deo decretum adesset, scribit Nicephorus à Deum per angelum illi latum de migratione ab hoc exilio in cælum, nuntium attulisse, & porrecto ramo palmæ in manum diem obitus indicasse. Attulit hic nuntius tantam MARIÆ voluptatem, ut exsaturare se non potuerit gratijs diuinæ maiestati agendis: exiliensq; gaudio omnibus amicis & deuotis saralem angeli reuelationem manifestavit, demonstrans ratum ab eodem acceptum. Vestes quasdam suas iussit erogari in duas binas, vicinas & inopes. Addit Nicephorus in domum illam confluisse magnam fidelium turbam, qui multis lacrymis intimum dolorem suum testabatur, quod tali Magistra, & vnico solatio suo priuandi essent. Verum B. Virgo

a Eccl. hist. l. 2. cap. 21. Metaph. in orat. de vit. & mor. Virg. Can. de B. Maria l. s. c. 2. & c. 3.

L 5 hot-

hortabatur eos, ut gauderent potius, quam
flerent.

PUNCTA MEDITATIONIS.

1. **C**ONSIDERA, quomodo Maria flagra-
uerit amore filij sui IESV, & ideo læ-
pè à Domino flagitabat exire è vita hac
ut conspectu eius frui posset in caelo:
subijciens tamen semper suam volunta-
tem diuinæ.

2. Contemplare, quomodo angelus à
Deo missus MARIAE reuelarit iam ad-
se tempus, quo ei migrandum esset ad
meliorem vitam, ubi deinceps in ater-
num præsentia dilecti filij sui, suorumq[ue]
operum fructu perfrui posset.

3. Contemplare, quanto gaudio ex-
ultarit MARIA felici hoc nuncio audito:
cum in hac peregrinatione nihil aliud,
nec desiderarit vnquam, nec cogitarit.

DOCUMENTA.

1. Fili, quia ignoras quid tibi sit conduc-
bilis, debes exemplo MARIAE, etiam in
rebus sanctis & bonis voluntatem tuam
conformare Creatoris tui & Domini vo-
luntati.

2. Deus sua dona impertit certis tempori-
bus: & idcirco ne conqueraris, si postulata
non statim obtineas, sed coneris in oratione
persistere, cogitans Deum ideo differre gra-
tiam suam, ut tu perseueres.

3. Fili

3. Fili, si vis tibi nuncium de imminente morte afferre gaudium, abstrahere mentem a rebus terrenis, & eam defigas in celestibus ad quas es creatus.

HISTORIA DE MARIA MOR-
ti proxima.

CVM iam tempus impenderet, quo MARIA migratura erat ex hac vita ad celestem Hierusalē, Deus nouo beneficio illam cohonestauit. Voluit enim eius excelsum præses ad se hic Apostolos, ut multi Scriptores a testantur ac omisso testimonio Dionysij Arcopagite, qui præfuit, commemorabo tantum quid S. Iuuenalis & Episcopus Hierosolymitanus a Martiano Imperatore rogatus de obitu MARIE dixerit. Et si, inquit ille, S. Scriptura nihil de obitu MARIE tradat, tamē pro vetustissima verissimaq; traditione habemus, a postolos, qui id temporis in varijs partib. orbis degebant, vno momēto vi diuina Hierosolymā delatos, & in morte D. Virginis Mariæ præsentēs adfuisse. Præterea Anselmus & Nicephorus aiunt etiam CHRISTVM multa angelorū turba stipatum cælitus descendisse, vt a nimā carissimæ matris suæ præsens exciperet. Idem ante illos scripserat Damascenus, referens q̄ colloquiū inter matrem & filiū illa hora, vt statim dicitur, fuerit institutum. **L 6 PVN.**

a Metaph.
in orat. de
vit & mor
Virg.
Niceph. l.
2. Ec. hist.
cap. 3.
Damasc.
in orat. de
dormit. &
assump.
Deip.
bl. de diu.
nom. c. 3.
c in vetera
hist. Eur.
d de excels.
virg. s. s.
cib. d. c. 21.
f ubi supra
Can. de B.
Mar. l. 5.
c. 3.